

3^o Contractus ille locationis pecuniae est in se licitus; nam iuste pretium exigitur pro re, quae valorem intrinsecum habet; atqui usus pecuniae, quae primo usu non consumitur, habet valorem intrinsecum,

PROPRIUS, patet primo ex genere actus, qui est ipsa datio, quae designat liberalitatem dantis... Quare in illa translatione, in qua actus dandi proprie debet attendi, nullo modo liberalitas debet corrumpi: sed huiusmodi actus, scilicet dandi, vere attenditur in actu mutui... Quare si aliqua circumstantia addatur huiusmodi actui, quae liberalitatem dandi corrumpat, erit huiusmodi actus malus et viliosus, et peccatum. Talis autem circumstantia additur, quaecumque datio mutui fit pro aliquo lucro sive in spe sive in re, eo quod illud, quod pro lucro fit, non pro pura liberalitate fit. Ex quo sequitur, quod semper ibi malum et peccatum est, non solum ex natura finis et materiae suae, sed etiam EX NATURA ACTUS PROPRII, circa quem fieri habet.

Ita quidem isti Doctores, quibus addi alii facile possunt, imo vero addi etiam debent quotquot duplex contractuum genus distinguunt, quorum alii *gratuiti* sint, alii *onerati*, contractum *mutui* priori generi accensent; hi autem sunt Theologi plane omnes. Porro si ratio quodvis lucrum aut lucri spem a mutuo excludens, tota demum petitur ex natura contractus, quem spontanea liberalitas admittat; spontaneae autem liberalitatis officium et exercitium, seclusa charitatis obligatione, in libera cuiusque potestate residet; iam facilis se ratio prodit, cur sicut domum aut equum, sic et rem, quam *fungibilem* dicunt, tradens alteri utendam, cum gratis ex liberalitate possim renunciare cuilibet iustae compensationi, hanc tamen, mutata contractus ratione, possim sine iniustitia exigere. Duplicem ideo diversum iniri posse de hac re contractum alii iam adverterant, quos refert Petrus de Ancharano

(In V. Decret. tit. 19. cap. 1.) inquit: *Quidam dicunt, quod aut usurae petuntur ex alio contractu, quam mutui, aut petuntur ex contractu mutui. Primo casu sunt permissae... Secundo casu, quando ex contractu mutui, non sunt permissae..., et ita intelligitur divina lex, etc.* Eodemque modo Alphonsus Tostatus (In cap. 25. Matth. q. 181.) disserit: *Si pro usu rei (aliquid petitur), aut accipitur pecunia, aut alia res; si alia res, est contractus innominatus, scilicet do ut des, facio ut facias. Si autem pecunia recipiatur, erit contractus locationis... Et ideo cum debeat mutuum esse gratuitum, si non sit, desinet esse mutuum, et est alius contractus, etc.* Quam quidem sententiam alii probatam fuisse sic indicat Card. Hostiensis (*Summ. lib. V. de Usuris §. 1.*), ubi rationes affert, propter quas mutuo vitium usurae accedit. *Alii* (inquit) *dicunt hanc rationem, quia MUTUUM DEBET ESSE GRATUITUM; sed ex quo pecunia interveniret, transiret in locationem, prout notavimus supra de commodato.* Et prorsus opportunissime lectorem remittit ad dicta *de commodato*, ubi (lib. 3. *de Commod. n. 2.*) allata hac commodati definitione: *Alicuius rei ad aliquem certum usum gratuita facta concessio*, vocis *gratuita* similem sic profert rationem: *Gratuita ideo dicitur, quia si merces interveniat, transit in locationem... Debet autem esse gratuitum, sicut et mandatum, quod ab amicicia etc. Et si species daretur, transiret in contractum innominatum, do ut facias... Quae luculenter ostendunt, quomodo idem omnino opus, quandoquidem sit pretio aestimabile (aestimabile autem pretio esse mutuandi officium negat nemo, nec negare potest), materia esse*

qui pretio aestimari potest, et in commercio humano causa evadit multorum emolumentorum. Ergo auctarium sortis est iustum pretium illius usus.

queat tum contractus *gratuiti*, si ex mera liberalitate et gratia praestetur, tum contractus onerosi, si merces, cui in primo contractu liberalitas renunciatur, in secundo iuste exigatur et accipiatur.

Hoc autem principium multo aptius in hanc rem adhiberi, quam principium a recentioribus inventum *de fecunditate pecuniae*, multiplici ratione suadet. Ac primo quidem magis est universale, atque adeo mutationem (nam hac voce abusive seu sensu laetiori utemur ad designandam quamlibet, etiam non gratuitam rerum ad usum alterius praestationem) non pecuniae solum, sed cuiusvis rei fungibilis completitur. Nam alioqui non apparet ratio, cur in uno, non autem in altero casu, aestimabile pretio sit incommodum carendi re sua, et onus eam ad certum tempus non repetendi. Deinde quia hoc principium magis consonum est iustitiae legibus. Iustitia enim postulat, ut ius ac norma compensationis in contractibus non quidem ex commodo, quod ex re acquirenda quis percepturus forte erit, sed potius ex onere desumatur, quod alter re sua se privans subeat (Vid. infr. n. 891-892.). Denique quia hoc principium non solum magis in se firmum est ac certum, multoque magis a DD. receptum ac probatum, quam novum illud *de fecunditate pecuniae*, sed etiam quia obscuras illas, tricarumque plenas, atque innumeris aequivocationibus molestas impune praetervolat disputationes, *sitne sterilis an frugifera pecunia, sitne rei an industriae fructus, cuiusnam sint fructus, et cuiusnam dominium sortis, etc. etc.*; quae dum mentes inter incerta defatigatas vexant, firmum, cui conscientia tranquille acquiescat, iudicium vix concedunt.

Huic principio accedit praeterea et S. Alphonsi suffragium (lib. 3. n. 760.),

ubi nimirum quaerit, *an pro obligatione, cui se submittat mutuans, non repetendi mutuum nisi post longum tempus, possit aliquid ultra sortem exigere, etiamsi nullum incommodum ex dilatione ei eveniat.* Neque enim dissimulare potuit sapientissimus Auctor, se prorsus affirmativae sententiae adhaerere; de qua, licet contra communiorem, definit tamen, quod *haec sententia vere non videtur sua probabilitate carere*, suppetiasque petit ex iis, quae et nos a Card. De Lugo mutuati superius sumus, inquit: *Si mutuans aliquid accipiat pro tali obligatione, rite accipit... ratione oneris ex pacto sibi impositi, quod onus utique est pretio aestimabile, ut fatetur ipse Lugo... cum aliis.* Insuper et utitur in eandem rem hoc argumento: *Si enim* (inquit) *licite aliquid exigere potest, qui obligatur ad mutuandum infra longum tempus, ut docent DD. communius..., cur non potest, qui obligatur non repetere suum, nisi post diuturnum tempus?* Cuius argumenti instar validius aliud proferri in rem nostram potest post doctrinam communem, quod *non liceat pro mutuo exigere, ut mutuarius mihi det aliam rem mutuam.* Etenim si ideo non possum pro mutuo exigere, ut alter invicem mihi det mutuum, quia *imponerem pro mutuo onus pretio aestimabile*, cur non erit itidem *pretio aestimabile onus, quod mihi erga illum assumo?* Caeterum S. Alphonsus id quidem asserit dumtaxat de obligatione non repetendi mutuum *ad longum tempus*, quasi haec specialis obligatio sit quidpiam mutuo extrinsecum. At enim manifestum est, uti Lugo recte observat (disp. 25. n. 49.), obligationem non repetendi mutuum *ad aliquod tempus* esse huic contractui intrinsecam et

4^o Pecunia, ut constat experientia mercatorum, fructum producit, et multiplicatur *per se*, independenter ab humana industria, ergo non omnino sterilis reputanda est. Etenim idem mercator in iisdem circum-

essentialem, uti ex ipsius definitione patet. Et si obligatio illa, ut (ibid.) habet Lugo, est vere aliquid pretio aestimabile, hoc onus pretio aestimabile maius quidem, minusve erit, prouti eam obligationem ad longius, breviusve tempus quis sibi imponit; sed cum *plus et minus* non immutent rei naturam, nunquam a mutuante aberit assumptio oneris pretio aestimabilis. Idcirco difficultatem reipsa evades nunquam, nisi ad naturam contractus huius recurras, cuius, non secus ac *commodati et donationis*, proprium necessario est, ut pars altera sibi onus utique pretio aestimabile assumat, simul tamen semet ex pura liberalitate obliget ad illud omnino gratis exhibendum.

Et his quidem adhibitis principiis etiam melius solvetur difficultas, quam S. Alphonsus (l. c.) dituendam sibi proponit, petita scilicet ex damnatione prop. 42. ab Alexandro VII. proscriptae: *Licetum est MUTUANTI aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Respondet S. Alphonsus: *Dicta propositio merito fuit damnata, quia per illa verba nimis generalia comprehendebatur cuiuscumquetemporis expectatio, etiam ea, quae mutuo est intrinseca: non autem prohibetur, aliquid exigere pro obligatione expectandi per tempus extraordinarium, quae obligatio est mutuo extrinseca*. At enim ea, quae modo attulimus ex Card. De Lugo, perspicue evincunt, hanc vitandae damnationis rationem minus efficacem esse; quippe mutui natura pro diversa temporis mensura nullatenus immutetur. Vitium contra, quod iustissima fuerit damnationis causa, tantummodo et simul manifeste in voce illa MUTUANS reperies. Nam MUTUANS, prouti omnes fatemur, ex vi contractus se obligat

ad nihil *pro mutuo* exigendum. Atqui intrinseca et essentialis contractui *mutui* est obligatio non repetendi sortem *intra certum tempus*, in quaecumque demum et quantumcumque tempus mutuator contrahendo consenserit. Ergo quoties vere de MUTUANTE sermo sit, nunquam licitum ipsi esse poterit aliquid exigere supra sortem, utcumque se obligaverit ad sortem usque ad quaecumque certum tempus non repetendam: ac propterea merito illa propositio confixa est, quae contra naturam contractus praetextu temporis lucrum *gratuitati* contractus repugnans admittebat.

Rursum vero ex eo quod *intrinseca* et prorsus *essentialis* contractui *mutui* sit obligatio sortem ad certum quoddam tempus non repetendi, propter quod et a contractu *precarii* distinguitur, ex hoc, inquam, novum in rem nostram exurgit illudque peremptorium et evidens argumentum, quo hucusque dicta confirmantur. Et sane ab omnibus sive theologis sive iuriconsultis ceu firmissimum principium retinetur, quamlibet obligationem civilem esse pretio aestimabilem, atque adeo compensari pecunia posse. Exinde autem ad quaestiones (verbis utar Dominici Soto *De Iust. et Iur.* lib. 6. q. 1.), *utrum possis mutuatarium ratione mutui ligare, ut tuum colat agrum iusto pretio, vel tuum molendinum, aut furnum, aut tabernam frequentet*, unanimi sententia respondent, non licere, utcumque alioqui supponant, ut ibi habet Sotus, *mutuatorem nullum dare damnum, nullumque extorquere pretium*, quia scilicet *iusto pretio* proponit tibi agrum colendum, molendinum, furnum, tabernam adeundam. At enim cur haec non licebunt, ubi nihil iniqui exigitur? Et unanimiter respondent: *Quod illa civilis obligatio est aestimabilis pecunia. Haud enim*

stantiis et cum eodem industria gradu, multo maius lucrum facit, si multo maiorem summam impendere in commercium possit; ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere pretio aestimabilis.

dubium est, quin privatio libertatis suapte natura sit digna pretio. Ita cum aliis Sotus secutus magistrum suum S. Thomam, qui eodem usus principio (2. 2. q. 78. art. 2. ad 4.) negat, pro mutuo imponi posse mutuatorio obligationem ad mutuum faciendum in posterum; quia (inquit) *etiam talis obligatio pecunia aestimari potest*. Et ex his idem arguit Caietanus (*Comment. ad S. Thom.* l. c.) quoad obligationem fideiussoris propriam: *Fideiussor, ait, potest aliquid exigere, ut fideiubeat: quoniam fideiubendo obligat se civiliter ad solvendum pro alio, quod non est minus quam obligare se ad mutuandum: ac per hoc, quia obligatio mutuandi potest vendi, ut est in littera, consequens est, ut obligatio ad solvendum pro alio possit vendi, utpote pecunia aestimabilis*. Et ea de causa eiusmodi obligationem pro mutuo imponi posse sic negat: *Obligatio civilis est pecunia aestimabilis; ac per hoc cum quibuscumque fiat conditionibus, plus sorte ex pacto exigit, et usura est*. At vero *civilem hanc obligationem* nonne sibi liberaliter mutuator assumit, quando pecuniam suam, aliamve rem quamlibet mutuo tribuens semet obstringit, ne ante praefinitum aliquod tempus repetere eam possit? Nonne intercedit, ut ait Sotus, ea *libertatis privatio, quae suapte natura est digna pretio*? Manifestum est igitur, iuxta principia constantissime ab omnibus admissa, contractui *mutui* eam subesse materiam, quae itidem contractus onerosi materia esse possit: quippe quae ex unanimi DD. consensu *digna pretio est, aestimabilis pretio est, aestimabilis pecunia est*, et prouti Caietanus post S. Thomam dicebat, *quae vendi potest*. Quod postremum alia ratione, eaque pereleganti, nobis indicat S. Thomas (4. dist.

25. q. 3. art. 3.), ubi quaerit de Simoniae materia. *Emptio, inquit, vel venditio consistit non solum in datione et acceptione pecuniae, sed omnium eorum, quorum potest pretium numismate mensurari: in his enim est liberalitas secundum philosophum. Constat autem, quod in iisdem est liberalis datio, et venditio, quae est ei contraria*. Ubi vides, iuxta S. Thomam post Aristotelem eandem *liberalitati* subesse materiam, ac subsit venditioni, cuius nimirum pretium possit numismate mensurari. Et hoc quidem sapientissime dictum est. Quis enim liberalitatis laudem illi tribuat, qui rem conferat nullum omnino pretium habentem, atque adeo utilitatem nullam, nullumque commodum? Porro nemo id infitari potest, quod Albertus Magnus, ut sup. vidimus, toties inculcat, concessionem mutui esse actum *liberalitatis* et gratiae. Redit ergo conclusio, quod mutui materia, utpote materia *liberalitatis*, materia itidem esse possit *venditionis* seu alterius contractus *onerosi*, non secus ac scilicet materia *donationis* fieri potest, mutata contractus natura, venditionis materia, aut permutationis, aut locationis.

Illud tamen hucusque dictis ob stare quis forte putabit, quod ista longe discedere videantur a doctrinis, propter quas Theologi insectandis palliatis usuris tantopere institerunt, ac prope insudarunt. Et facile res patet. Curnam enim tot, tamque varii contractus praeteritis temporibus excogitati fuerunt, nisi quia qui pecunias aut quidvis aliud e rebus fungibilibus alteri credebant seu utendum praestabant, in id gratis nullatenus consentire, sed lucrum aliquod inde referre vellent? Porro si ea admittantur, quae superius disputata sunt, plane constat, illos iure suo usos fuisse. Nam cum titulum iusti alicuius

5^o Illud auctarium sortis potest non solum haberi ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate sperabatur; mutuum enim commercii assimilatur triplici contractui societatis

lucri in ipso opere insitum esse contendamus, alioquin vero gratis id aliis praestare, quod iusto pretio vendi potest, excepta (si quando adsit) obligatione charitatis, sit actus liberalitatis, ad quem nulla lex quempiam adstringit; ab aliquo igitur lucro quaerendo ac percipiendo nequaquam prohiberi illi poterant. Attamen quis ignorat, quam acri ac simul subtili studio haec lucra ceu palliatas usuras communiter Theologi insectati, imo et exsecrati fuerint? Numquam autem non suspecta videri ea debent, quae a doctrina in catholicis scholis communiter recepta recedere videantur.

Cui quidem difficultati diffidendum sane non est suam inesse vim, quam ii tantum non persentiscunt forte, qui quantum scholarum auctoritati sit deferendum, ignorant.

Advertere tamen in primis licet, potiori iure haec obici tunc potuisse, cum saeculo elapso Scipio Maffei, aliique cum eo, pro honestate alicuius lucri ex pecuniae praestatione percipiendi, si quidem ratio contractus immutaretur, certare coeperunt. Et acerrimam quidem tunc inter doctos commissam pugnam novimus, in qua profecto gravissimum hoc auctoritatis praeiudicium contra recentiorum placita militabat. Hoc tamen argumentum non eius roboris visum fuisse, propter quod recentiori opinioni illae notae inurerentur, quae a posthabita et quodammodo contempta communi scholarum doctrina expectari possunt, historia docet: quin et Benedictum XIV. non abnuisse, ut sibi nuncuparentur opuscula, in quibus recentior theoria propugnabatur. Mastrofinium vero legitima annuente auctoritate suum pro eadem sententia opus prelo in ipsa urbe Romae committere potuisse, notissimum est, sicut omnes iam et illud novimus, ab ea aetate ad nostram usque, quin

vires recentiori huic doctrinae deficerent, maiores imo in dies accessisse, adeo ut inter probabiles scholae opiniones suum iam locum obtinuisse videatur.

Advertendum deinde, haud omnino novam elapso saeculo hanc doctrinam prodixisse. Iam enim alias in scholis catholicis audita et admissa fuisse, satis ea evincunt, quae superius ex Petro Ancharano, ex Tostato, et Card. Hostiensi retulimus. Neque caeterum satis efficax videtur, quod adversus eam Card. Hostiensis obiecit, in locatione scilicet, secus ac in pecuniae praestatione contingat, dominium rei non transferri. Nam et in pecuniae praestatione dominium, quod transfertur, sensu prorsus circumscripto intelligatur oportet, uti superius (in not. ad n. 849.) iam vidimus. Negari deinde potest suppositum, rationem nempe alicuius, quod quaeratur, lucri petendam esse ex fructu, quem mutuatarius ex pecunia percepturus sit, uti ex superius dictis manifestum est.

Insuper quascumque demum vias alii iniverint ad evincendam honestatem contractus, quo lucrum aliquid ex pecunia aliis ad utendum praestita percipi iuste possit; nos tamen non aliis, ut patet, principiis utimur, quam quae unanimiter catholici doctores probant, et constanter propugnant. Perperam igitur adversus nos quaestiones illae moverentur, quae circa abstrusas subtilesque Mastrofinii theorias excitari consueverunt; atque hoc unum tandem inquirendum supererit, an istis principiis, quae et nos cum scholis catholicis profitemur, ac defendimus, consentanea magis appareat conclusio, quam ex iis ipsi deducimus, an vero sententia nostrae conclusioni adversa. Porro vel pauca illa, quae superius a Card. De Lugo et Molina proferri vidimus, ut semet, suaque theoremata extricarent e difficultatibus per

(de quo infra, n. 862.) et assecurationis tum sortis tum lucri. Triplex autem ille contractus probabiliter censeri potest legitimus iuxta Benedictum XIV, S. Lig. et alios.

ea principia inductis, quae abnegare nulla ratione poterant, satis superque sunt, ut iudicari inter utramque sententiam possit.

Denique illud maxime perpendendum venit, nos in alia prorsus conditione nunc versari, ac Doctores, quos nunquam non suspicere ceu nostros et patres et magistros debemus. Solemne nimirum Doctoribus vere catholicis semper fuit oculos ad Apostolicam Sedem intentos habere, e qua sane omnis doctrinae lux, atque adeo tutissima sentiendi in omnibus norma quaeri atque exspectari debet. At vero quis ignoret, haudquaquam eos ad manum habuisse Apostolicae Sedis responsa, quae sub SS. Pontif. Pio VIII. et Gregorio XVI. per SS. Congregationes tum Poenitentiarum tum S. Inquisitionis prodierunt, e quibus alioquin discere tuto quisque potest, quid in praesenti materia tamquam definitum haberi debeat, quid adhuc libere in scholis discutiendum relinquatur? Numquid enimvero quis putet, Doctores illos quodlibet in his lucrum ceu usurae saltem palliatas labem insectaturos fuisse, si quidem novissent, iudicio Sedis Apostolicae non esse eos inquietandos, qui eiusmodi lucra aut sectantur, aut licite ea quaeri docent? Non igitur quasi nobis adversos censere eos debemus aut possumus, qui profecto si quae nobis nunc nota sunt, cognovissent, eadem quae nos sentimus, et ipsi sensissent.

Caeterum quod studia sua, laboresque, et qualemcumque industriam quisque pro viribus conferamus ad istas quaestiones enucleandas, nemo enimvero non cernit, id maxime consentaneum esse obsequio, quod Apostolicae Sedi, eiusque de hac materia Responsis omnes debemus.

Videlicet ut certissimum et comperitissimum esse debeat, Responsa Sedis Apostolicae sub sa. me. PP. Pio VIII. et Gre-

gorio XVI. ne minimum quidem distare a doctrinis, quas Benedictus XIV. in Constitutione *Vix pervenit* ab omnibus tenendas edixerat: si tamen rationem inspiciamus dubiorum, quae de hoc argumento proposita fuisse Apostolicae Sedi alias diximus, quosdam extitisse reperiemus, quibus difficile accidebat, posteriora haec Responsa cum praedictis Benedicti XIV. Litteris conciliare. Reverentiae ergo ac filiali in communem omnium Matrem ac Magistram studio congruum est summo-
pere, ut dubia eiusmodi suspicionesque, quantum in nobis est, diluamus, aptissimas, quas sciamus, rationes proponendo, quibus consona sibi Sedis Apostolicae oracula appareant. Id vero consequi dabitur, semel ac planum fiat, posteriora Responsa non ad doctrinam in praedictis Litteris definitam, sed ad quaestiones pertinere, quas ipse Benedictus XIV. in iisdem Litteris nolle se dirimere professus aperte est. Diserte enim S. Pontifex certas quasdam de hac re quaestiones nedum dirimere, sed ne in examen quidem vocare se voluisse sic innuit (§. 2.): *Non tamen expetivimus ab ipsis (Consultoribus), ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio praebuerat.* Quinimo contractum quempiam a mutuo diversum posse institui, e quo lucri aliquid licite perciperetur, sic idem Pontifex (§. 10.) indicat: *Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, et a veritate alienum plane deprehendimus, si perpendamus, NATURAM UNIUS CONTRACTUS AB ALTERIUS NATURA*

Hanc doctrinam tenent Mastrofini — Maffei — Rossignol. — Card. de la Luzerne, et alii, quibus assentiunt recentiores non pauci.

868. — *Obiic.* 4^o Christus Dominus in lege nova omne lucrum ex mutuo prohibuit; dixit enim: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6. 33. — Ergo...

Resp. Haec verba non sunt certo intelligenda de praecepto riguroso,

PRORSUS DIVERSAM ET SEIUNCTAM ESSE; ET EA PARITER DISCREPARE MAGNOPERE INTER SE, QUAE A DIVERSIS INTER SE CONTRACTIBUS CONSEQUUNTUR. *Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui iure licito ex pecunia desumitur..., ac fructum qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque iudicio restituendus decernitur.* Cum ergo S. Pontifex manifeste edicat, a contractuum diversitate repetendum esse, ut ex pecunia concessa (N. B. non dicit, *mutuata*) fructus licite vel illicite percipiatur, neque referenda haec sint ad ea, quae in antecessum de titulis *emergentis damni aut lucri cessantis*, etc. statuerat, inferitur plane, dari posse contractum a mutuo diversum ac seiunctum, quo fructus ex pecunia licite comparetur. Qui quidem contractus cuiusmodi sit, cum neque in ipsis Benedicti XIV. Litteris, neque in posterioribus Sedis Apostolicae Responsis ullo modo significetur, atque adeo scholarum studiis disquirendum id relinquatur, profecto in obsequium cedit utriusque oraculi, quod nostra omnia ipsius Sedis Apostolicae iudicio subiicientes, et principiis communius in catholica schola receptis insistentes, diligenter inquiremus, quinam eiusmodi contractus in hac re haberi queat, qui et Benedictinae Constitutionis sensui, et praxi per SS. Congregationum Responsa praescriptae, et utriusque oraculi conciliationi plenius satisfaciat. Quod utrum in paucis hac nota disputatis obtentum aliqua ratione sit, tum Sedis Apostolicae iudicio, tum sapientiorum sententiae lubentissime submitto.

Nulla autem ratione praetermittendum

hic est, utcumque videri cuiquam queat, praefacto ab aliis principio *de fecunditate pecuniae* praefendum hoc alterum esse, quod nempe *pecunias suas seu res alias fungibiles alterius usui ad tempus quoddam statutum concedere sit opus per se pretio aestimabile*; haec tamen nihil ad praxim, sed mere ad theoriam nonnihil expoliendam spectare, quo aptior scilicet eorum ratio reddatur, quae probata cernimus non modo per communem sensum et usum, sed et apud *sapientissimos illos* (utar enim verbis Card. De Lugo disp. 25. n. 11.) *iurisconsultos romanos, qui usuras* (intellige lucrum, ut notat *usurae* vox, pro concessio usu exactum, non pro gratuito *mutui* contractu, quae iniquitas in sapientissimorum illorum mentem venire sane non potuit) *in moderata summa licitas censuerunt, et pro eis exigendis actiones concesserunt, et pro solutis repetendis actionem negarunt.* Nam quod ad praxim pertinet, ad mensuram videlicet compensationis reddendae, eodem modo se res habet, utrumlibet adhibeas principium. Omissis enim adiunctis *emergentis damni aut cessantis lucri*, quae sin minus in foro externo, saltem in foro conscientiae, forte aliter decerni aliquando posse concedant, semper valere dicenda est lex illa, quae in qualibet compensatione servatur. Aut enim lucri huius mensura legibus praefinita est, et hanc praeternegredi nefas erit; vel nullam leges praefiniunt mensuram, et tunc *vulgari pretio*, quod tamen et in re praesenti diversos *infimi, medii et summi* poterit habere limites, standum erit.

saltem quoad omnes homines et omnes casus. Etenim in capite citato plura referuntur, quae meri sunt consilii, v. gr. sequentia: *Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quae tua sunt, ne repetas.* Luc. 6. 30.

869. — *Obiic.* 5^o Benedictus XIV, in Epistola encyclica *Vix pervenit*, damnavit ut usurarium omne lucrum ex mutuo perceptum. Ergo...

Resp. 1^o Non constat inter theologos de vero sensu Benedictinae Constitutionis, teste controversia de hoc adeo agitata apud auctores.

Resp. 2^o *Benedictus XIV* non reprobavit nisi lucrum ex mutuo, *vi mutui* perceptum, praescindendo a variis titulis. Ergo ex hac Constitutione nihil contra lucrum ex aliquo titulo perceptum deduci potest. Adde, quod Pontifex aperte declaravit, se nolle dirimere controversias in scholis agitata, v. gr. de licitate trini contractus.

Resp. 3^o Si praeclarus Pontifex quippiam definivisset, nonne a S. Sede cognosci deberet melius quam ab aliis? Et si verum foret, quomodo Pontifices *Pius VIII* et *Gregorius XVI* decisionem oppositam ferre potuissent? Numquid *inquietandi* non forent illi, qui contra dogmaticam Constitutionem summi Pontificis agerent?

870. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *Quibusnam liceat percipere 6 pro 100. ratione commercii iuxta legem civilem?*

Resp. 1^o Licet certo mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuanti- bus, quia omnino de commercio agitur.

Resp. 2^o Licet etiam mercatoribus respectu aliorum non mercatorum, quia lex favere commercio intendit; favet autem permittendo mercatoribus, ut maiorem censum ex mutuata pecunia percipiant.

Resp. 3^o Si agatur de aliis non mercatoribus respectu mercatorum, *controvertitur.* Negant *communius* licere, et asserunt talem esse tribunalium decisionem. Ratio est, quia lex, quae mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret, si interesse maius solvere deberent.

Plures tamen etiam inter iurisperitos affirmant. Ratio autem horum est, 1^o quia verba legis sunt generalia: *in materia commercii*; nec constat, qualis sit sensus genuinus illorum verborum; 2^o quia expedit commercio, ut ita lex intelligatur: sic enim multo facilius mercatores pecuniam reperiunt cum maiori sua et commercii utilitate etc. — Sed, aiunt merito (31), non ideo posset quilibet ex non mercatoribus etiam ab alio non mercatore 6 exigere, ideo quod mercatori mutuare potuisset; nam nullo modo in commercio pecuniam reponit; nec ratione damni emergentis inniti valeret, cum lex unice intendat commercio favere.

(31) Si non merus sit praetextus, sed trahi posset, quaestio videretur solvenda in promptu esset mercator, quocum con- ex iis, quae A. infra (n. 872.) habet.

871. — QUAER. 2^o *An vel quatenus requiratur bona fides ad lucrum ex mutuo percipiendum titulo legis civilis?*

Resp. 1^o *Respectu peccati vitandi*, requiritur bona fides, quae consistit in bono conscientiae testimonio, seu in conscientia efformata saltem ex probabilibus et solidis rationibus, vel ex auctoritate theologorum. Hanc igitur bonam fidem poenitentibus suis interrogantibus praebere potest ipsemet Confessarius, eos docendo de controversia theologorum non facile dirimenda, necnon de responsis *Sanctae Sedis*. Hoc constat tum ex natura rei, tum ex ipsis responsis, infra referendis.

Resp. 2^o *Respectu iustitiae*, quaestio bonae fidei est quid mere indifferens. Quemadmodum enim praeter causam praescriptionis ius bona fide contrahenti conferri nequit, cum possessor bonae fidei nullatenus a restitutione eximi possit; ita etiam ius mala fide contrahenti adimi nequit; siquidem mala fides efficere non potest, ut contractus, qui in se saltem probabiliter iustus est, usurarius evadat. Nec dicas, neminem posse inire possessionem cum alia aut dubia fide, nec possessionem hanc retinere. Nam ubi de contractibus agitur, omnis conventio, quae certo non est in se iniusta, sed *probabiliter* iusta, consensu partium *certo* iusta evadit (32). Constat insuper ex responsione *Sancti Officii* ad Episcopum Nicaensem. — Ita etiam DD. Devie, Episc. Bell. in Epistola encyclica *de Mutuo*. — Gousset, n. 822.

872. — QUAER. 3^o *An liceat excedere taxam legalem in mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?*

Resp. 1^o *Neg.* respectu pauperum vel aliorum, qui in necessitate mutuum petunt, et qui auctario maiori opprimerentur, ut constat ex dictis. Non tamen teneri videris cum magno tuo incommodo ad mutuum eis concedendum (33).

Resp. 2^o Si pecunia in utilitatem, non vero in necessitatem alterius tradatur, *controvertitur*, et duplex fertur sententia. 1^a SENTENTIA *affirmat* ratione indemnitate seu iustae compensationis. Ita inter alios *Kenrich* et *Pagès Lugdunensis*, etsi in materia usurae notissimus severitatis fama evaserit. — 2^a SENTENTIA *neg.* Ratio est, quia compensationes damnorum ex obligatione pecuniaria provenientium exigi possunt iuxta taxam legalem. Quae quidem sententia locum habere potest, si mutuator cogat aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum; secus non apparet ratio,

(32) Nempe corrigenda tantum superest falsa persuasio; neque enim praecedens mala fides in casu adigere ad restitutionem magis potest, quam si quis suam ipsius rem, quam putaverat alienam, furto surripisset.

(33) Videlicet si detrimentum, quod ob lucrum cessans vel damnum emergens subire debes, haud leve sit, mutuum dare non teneris etiam pauperi; quia charitas sola tunc te obligat: charitas autem non obligat cum gravi incommodo.

cur mutuator emergentis damni detrimentum in gratiam alterius subire debeat.

873. — QUAER. 4^o *An liceat percipere interesse ex ipso interesse (les intérêts des intérêts)?*

Resp. 1^o *Affirm.* ex lege civili. Sed requiritur 1^o ut terminus contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit; 2^o ut adfuerit conventio specialis, vel petitio iudiciaria. Imo redditus elapsi locationum aut censuum, sive perpetuorum sive vitalitiorum, producant foenus ab ipso die petitionis vel conventionis.

Resp. 2^o Affirmandum etiam videtur pro foro interno; 1^o si praecesserit conventio, sive explicita sive implicita; quia reditus, elapso termino, summae capitali adiiciuntur: idem enim omnino est, quod debitori pecuniam meam, quam iam habet ex mutuo, relinquam, vel ei aliam tradam; 2^o si ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat. — Gousset *Cod. Civ. Commenté* art. 1154.

QUAER. 5^o *An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit 5 vel 6 pro 100.*

Resp. Affirm., si lex, perpensis omnibus circumstantiis, videatur iusta, id est, appareat aequalitas inter lucrum lege permissum et valorem usus pecuniae aut pericula sortis, etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, necnon ad pecuniae raritatem, ex qua eius pretium et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.

874. — QUAER. 6^o *Quid dicendum de institutionibus, quae vulgo dicuntur ARCAE PARCIMONIAE (Caisses d'épargne)?*

Resp. Non tantum tolerandae, sed et laudandae sunt eiusmodi institutiones, quippe quae subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus, dum modica eorum pecunia quodammodo accipitur mutuo, et census ipsis rependitur.

875. **RESOLVES.** — 1^o Absolvi possunt, imo absolvendi sunt, qui taxam legis civilis non excedunt ratione lucri ex mutuo percepti; cum minime constet, eos iniustitiae reos esse, proinde nec ad restitutionem ullam faciendam obligari possunt.

2^o Quamvis igitur unusquisque oppositam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens, ut *probabiliorem speculative* defendere possit; adversam tamen sententiam damnare nequit, ut doctrinae catholicae contrariam, nec restitutionem, denegata secus absolute, exigere. Imo qui urgeret poenitentem ad restitutionem, ipse ad damnum poenitentis resarciendum adigendus foret; siquidem ex doctrina communiter recepta Confessarius indebitam restitutionem temere praescribens, damnum illatum tenetur reparare. — Ita *expresse et recte Bouvier de Contr.* p. 2. c. 8. art. 4.